

*idiomatum eam negant, quae fit cum transfusione & transmeatione, priusquam credamus, vel statuamus, eos nobiscum sentire, opus esse, ut accurate inquiramus, & oculata mente circumspiciamus, alterutrum illi, an utrumque modum excludant? & apparebit protinus, nostram ipsam Communicationem realem in Scriptura adeo fundatam, & tot argumentis a primordio certaminis confirmatam, revera ab illis traduci per vocabulum transfusionis, quandoquidem quid alioqui causae fuisset, cur toties Ecclesiae nostrae Eutychianismum objecissent, nisi communicationem realem idiomatum innocentem & puram, nihilominus pro transfusione Eutychiana haberent, quae tamen ab illa tantum distat, quantum infernus a coelo distat. Quis haec non penetret, quorsum tendant? Ideo faciunt hoc, inquit J. Andreae ad Bezam, ne lectores verum & proprium statum controversiae animadvertentes, in veritatem recte inquirent, & ipsorum errorem deprehendant. l. c. p. 214.*

V.) Facile itaque poterat, vel debebat, Allocutor perspicere, quando vidit, Reformatos hodiernos scribere, *se solum illam communicationem naturarum & idiomatum negare, quae fiat per transfusionem & transmeationem*, revera illos se toto pectore a nobis separare, & omnimode velle negare omnem communicationem majestatis ad humanam naturam. Quidni enim etiam profitentur, se nobiscum remove velle alias species falsae communicationis, nisi crederent, sub his vocabulis remotis, remove etiam a se posse *omnem realem communicationem Idiomatum*, quae enim non fit per actualem collocationem & effusionem, infusionem, seu permeationem talem, qualem antea descripsimus, illa plane est nulla, adeoque saltem verbalis, & ad speciem tantum consensus conciliandam, concessa. Eam vero ipsis sedere mentem, sole meridiano clarius est. Quis enim e. g. non miretur, ZANCHIVM iisdem verbis, quibus ipsam adeo *effusionem idiomatum* concedit, nihilominus *communicationem eorum realem* constanter negare, quan-